

usmodi gentium; ne similiter plaga feriamur praecipiti, et poena puniamur crudeli. Sic enim Deus Angelis in se praevaricantibus non pepercit, qui per inobedientiam coeleste habitaculum perdidierunt. Unde et per Esaiam dicitur: *Inebriatus est gladius meus in coelo*. Quanto magis nos nostrae salutis interitum timere debemus, ne per infidelitatem eodem saevientis Dei gladio pereamus?

Quod si divinam iracundiam vitare volumus, et severitatem ejus ad clementiam provocare cupimus, servemus erga Deum religionis cultum cum timore; custodiamus erga Principes nostros pollicitam fidem atque sponsonem; non sit in nobis, sicut in quibusdam gentibus, infidelitatis subtilitas impia, non subdola mentis perfidia, non perjurii nefas, nec conjurationum nefanda molimina. Nullus apud nos praesumptione regnum arripiat: nullus excitet mutuas seditiones civium: nemo meditetur interitus Regum: sed defuncto in pace Principe, primates totius gentis cum Sacerdotibus successorem Regni Concilio communi constituent; ut dum unitatis concordia à nobis retinetur, nullum patriae gentis dissidium per vim atque ambitum oriatur.

Quod si haec admonitio mentes nostras non corrigit, et ad salutem communem cor nostrum nequaquam perducit, audite sententiam nostram. Quicumque igitur à nobis, vel totius Hispaniae populis, qualibet conjuratione vel studio sacramentum fidei suae, quod pro patriae gentisque Gotthorum statu vel conservatione regiae salutis pollicitus est, temeraverit, aut nece Regem attrectaverit, aut potestate regni exuerit, aut praesumptione tyrannica regni fastigium usurpaverit; anathema sit in conspectu Dei Patris, et (*Alias*, Angelorum ejus) Apostolorum ejus, atque ab Ecclesia Catholica, quam profanaverit perjurio, efficiatur extraneus, et ab omni consortio Christianorum alienus (cum omnibus impietatis suae sociis) et damnatus in futuro Dei judicio habeatur cum participibus suis. Quia dignum est, qui talibus sociantur, ipsi etiam damnationis eorum participatione obnoxii teneantur (hanc execrationem usque tertio reclamant, et postea prosequuntur). Et ideo, si placet omnibus qui adestis, haec tertio reiterata sententia, vestrae vocis eam consensu firmate. Ab universo Clero vel populo dictum est: qui contra hanc vestram definitionem praesumpserit, anathema, maranatha, hoc est, perditio in adventu Domini, sit, et cum Juda Ischariot partem habeat, et ipsi et socii eorum. Amen.

Quapropter nos ipsi Sacerdotes omnem Ecclesiam Christi, ac populum admonemus, ut tremenda haec, et totiens iterata sententia nullum ex nobis praesenti atque aeterno condemnet judicio; sed fidem promissam erga gloriosissimum dominum nostrum Sisenandum Regem custodientes, ac sincera illi devotione famulantes, non solum divinae pietatis clementiam in nobis provocemus, sed etiam antefati Principis gratiam percipere mereamur. Amen.

Te quoque praesentem Regem (*Idem fere Augustinus*, l. 5 de Civ. Dei, c. 24. *Sed felices eos dicimus, inquit, si juste imperant, si inter linguas sublimiter honorantium, et obsequia nimis humiliter salutantium, non extolluntur, etc.*), futurosque sequentium aetatum Principes, humilitate qua debemus, deponimus, ut moderati et mites erga subjectos existentes, cum justitia et pietate populos à Deo vobis creditos regatis, bonamque vicissitudinem, qui vos constituit largitori Christo respondeatis; regnantes cum humilitate cordis, cum studio bonae actionis. Ne quisquam vestrum solus in causis capitum aut rerum sententiam ferat: sed consensu publico, cum rectoribus, ex judicio manifesto delinquentium culpa pateat, servata vobis in offensis mansuetudine, ut non severitate magis in illis, quam indulgentia polleatis: ut dum omnia haec, auctore Deo, pio à vobis moderamine conservantur, et Reges in populis, et populi in Regibus, et Deus in utrisque leatetur. Sane de futuris Regibus hanc sententiam promulgamus, ut si quis ex eis contra reverentiam legum superba dominatione et fastu regio in flagitiis, et facinore, sive cupiditate crudelissimam potestatem in populis exercuerit, anathematis sententia à Christo Domino condemnetur, et habeat à Deo separationem, atque judicium, propter quos praesumpserit prava agere, et in perniciem regnum convertere.

De Suintilane vero, qui scelera propria metuens, seipsum regno privavit, et potestatis fascibus exiit, id cum gentis consulto decrevimus, ut neque eundem, vel uxorem ejus, propter mala quae commiserunt, neque filios eorum unitati nostrae unquam consociemus, nec eos ad honores, à quibus ob iniquitatem dejecti sunt, aliquando promoveamus; quique etiam, sicut à fastigio regni habentur extranei, ita et à possessione rerum, quas de miserorum sumptibus hausserunt, maneant alieni; praefer id quod pietate piissimi Principis nostri fuerint consequuti. Non aliter et Geilanem memorati Suintilani

et sanguine et scelere fratrem, qui neque in germanitatis foedere stabilis extitit, nec fidem gloriosissimo domino nostro pollicitam conservavit: hunc igitur cum conjuge sua, sicut et antefatos à societate gentis atque consortio nostro placuit separari, nec in amissis facultatibus, in quibus per iniquitatem creverant, reduces fieri; praeter id quod consequuti fuerint pietate clementissimi Principis nostri: cujus gratia et bonos donorum praemiis ditat, et malos à beneficentia sua non separat.

Gloria autem et honor Omnipotenti Deo nostro, in cujus nomine congregati sumus. Post haec salus, et pax, et diuturnitas piissimo et amatori Christi domino Sisenando Regi; cujus devotio nos ad hoc decretum salutiferum convocavit. Corroboret Christi gloria regnum illius, gentisque Gotthorum in fide catholica: annis et meritis protegat illum usque ad ultimam senectutem summa Dei gratia, et post praesentis regni gloriam ad aeternum regnum transeat: ut sine fine regnet, qui intra saeculum feliciter imperat: ipso praestante, qui est Rex regum et Dominus dominantium, cum Patre et Spiritu Sancto in saecula saeculorum. Amen.

Definitis itaque his quae superius comprehensa sunt, annuente religiosissimo Principe, placuit deinde, nulla re impediante, à quolibet nostrum, ea, quae constituta sunt, temerari, sed cuncta salubri consilio conservare: quae quia profectibus Ecclesiae, et animae nostrae conveniunt, etiam propria subscriptione, ut permaneant roboramus.

Ego Isidorus in Christi nomine Ecclesiae Hispalensis Ep. Metropolitanus. haec statuta subscripsi.

Selya Narbonensis Metrop. Ep. subscrip.

Stephanus Eccl. Emeritens. Metrop. Ep. subsc.

Julianus Eccl. Bracarensis Metrop. Ep. subsc.

Justus Eccl. Toletanae Metrop. Ep. subsc.

Audax Eccl. Tarraconensis Metrop. Ep. subsc.

Stephanus Ausensis Eccl. Ep. subsc.

Petrus Veterensis Eccl. Ep. subsc.

Acutulus Elenensis Eccl. Ep. subsc.

Nonnitus Gerundens. Eccl. Ep. subsc.

Conantius Palentinae Eccl. Ep. subsc.

Clarentius Accitanae. Eccl. Ep. subsc.

Bigitinius Bigastrensis Eccl. Ep. subsc.

Sisaldus Emporitanae Eccl. Ep. subsc.

Bonifacius Cauriensis Eccl. Ep. subsc.

Hilarius Complutensis Eccl. Ep. subsc.

Eusebius Bastitanae Eccl. Ep. subsc.

Gabinus Calagurritanae Eccl. Ep. subsc.

Joannes Illeplensis Eccl. Ep. subsc.

Sisisclus Elborensis Eccl. Ep. subsc.

Marcellus Ursitanae Eccl. Ep. subsc.

Deodatus Egabriensis Eccl. Ep. subsc.

Joannes Dertosanae Eccl. Ep. subsc.

Eusebius Valeriensis Eccl. Ep. subsc.

Leudeficus Cordubensis Eccl. Ep. subsc.

Jacobus Mentisanae Eccl. Ep. subsc.

Germanus Monasterii Dumiensis Eccl. Ep. subsc.

Samuel Iriensis Eccl. Ep. subsc.

Profuturus Lamicensis Eccl. Ep. subsc.

Servus Dei Calabriensis Eccl. Ep. subsc.

Montesis Egitanensis Eccl. Ep. subsc.

Remasarius Nemanensis Eccl. Ep. subsc.

Concordius Asturiensis Eccl. Ep. subsc.

Ranarius Urgelitanae Eccl. Ep. subsc.

Eugenius Egarensis Eccl. Ep. subsc.

Florentius Setabitanæ Eccl. Ep. subsc.

Aventius Astigitanae Eccl. Ep. subsc.

Pimenius Asidonensis Eccl. Ep. subsc.

Aetherius Eliberitanae Eccl. Ep. subsc.

Anatolius Luthuensis Eccl. Ep. subsc.

Fructuosus Ilerdensis Eccl. Ep. subsc.

Perseverantius Castellonensis Eccl. Ep. subsc.

Musitacius Valentinae Eccl. Ep. subsc.

Viarius Olyssipponensis Eccl. Ep. subsc.

Antonius Segobriensis Eccl. Ep. subsc.

Ansiulfus Portugalensis Eccl. Ep. subsc.

Serpentinus Illicitanae Eccl. Ep. subsc.

Suanila Oretanae Eccl. Ep. subsc.

Methepius Britaniensis Eccl. Ep. subsc.
Anastasius Tudensis Eccl. Ep. subsc.
Ipidius Tyrassonae Eccl. Ep. subsc.
Ordulphius Oscensis Eccl. Ep. subsc.
Braudilio Caesaraugustanae Eccl. Ep. subsc.
Americus Segoviensis Eccl. Ep. subsc.
Isdisclus Segontiensis Eccl. Ep. subsc.
Epartius Italicensis Eccl. Ep. subsc.
Lausus Vasensis Eccl. Ep. subsc.
Modarius Pacensis Eccl. Ep. subsc.
Hiccila Salmaticensis Eccl. Ep. subsc.
Basconius Lucensis Eccl. Ep. subsc.
Egila Oxomensis Eccl. Ep. subsc.
Contaurus Presbyter, Vic. Fidentii Tuccitani Ep. subsc.
Renus Presb. Vic. Ermulfii Ep. Coimbriensis subsc.
Marcus Presb. Vic. David Auriensis Ep. subsc.
Joannes Presb. Vic. Severi Barcin. Ep. subsc.
Domarius Archidiacon. Vic. Carterii Arcavicensis Ep. subsc.
Steph. Archid. Vic. Genesisii Magalonensis Ep. subsc.
Donellus Archid. Vic. Solemnii Carcassonensis Ep. subsc.

APENDICE NÚM. 13.

Leyes del Fuero Juzgo, relativas á la potestad judicial de los Obispos en favor de los oprimidos.

Para responder á las injustas diatribas de los políticos contra la potestad judicial de los Obispos, con arreglo á las leyes del *Fuero Juzgo*, basta leerlas originales y sin prevencion alguna. Con este objeto se insertan las dos leyes 22 y 27 del título 1.º, libro 2.º del *Fuero Juzgo*, para que se vea hasta qué punto fue beneficiosa la influencia de la Iglesia en obsequio de los oprimidos, y para evitar las injusticias y tiranía de los Señores godos, respecto del pueblo español. Debe notarse además que ambas leyes figuran á nombre de Chindasvinto y Recesvinto, á quienes no cuentan, por cierto, entre los reyes vendidos á la supuesta teocracia goda.

LEY XXII, TÍT. 1, LIB II DEL CÓDIGO VISIGODO.

Flavius Chindasvintus Rex.

Si cujuscumque honoris aut ordinis judex dicatur haberi suspectus, vel si judex contra leges praesumat judicare.

Si quis judicem aut comitem vel vicarium comitis, seu tiufadum suspectos habere se dixerit, et ad suum ducem aditum accedendi poposcerit, vel fortassè eundem ducem suspectum habere se dixerit, non sub hac occasione petitor, ac praesertim pauper quilibet patiatulur ultra dilationem. Sed ipsi, qui judicant ejus negotium unde suspecti dicuntur haberi, cum Episcopo civitatis ad liquidum discutiant, atque pertractent, et de quo judicaverint paritèr conscribant, subscribantque judicium: et qui suspectum judicem habere se dixerat, si contra eum deinceps fuerit querelatus, completis priùs quae per judicium statuta sunt, sciat sibi *apud audientiam principis appellare judicem esse permissum*. Ità ut si judex vel sacerdos reperti fuerint nequitèr judicasse, et res ablata querelanti restituatur ad integrum, et à quibus aliter quam veritas habuit judicatum est, aliud tantum de rebus propriis ei sit satisfactum. Si certè injustam contra judicem querelam detulerit, et causam, de qua agitur, juste judicatam fuisse constiterit, damnum, quod judex sortiri debuit, petitor sortiatur. Et si non habuerit unde compositionem exsolvat, C. flagellis extensus publicè in ejusdem judicis praesentia verberetur. Nam si forte quisquam pro utilitate regia aliquid scire se dixerit, aditus ei ad conspectum *nostrae gloriae negari non poterit*.